AD QVODLIBETARIAM

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XII. DECEMBRIS, MAGISTRO PETRO COLLIER DOCTORE MEDICO, MODERATORE SAPIENTISSIMO.

An omni Melancholiæ Cardiaca?

VT præſtantior homini αὐτεξουσίῳ, quàm cæteris animantibus, caloris (vitæ commodæque valetudinis opificis) ἐνέργεια, à natura tributa eſt: ſic Cor, caloris, & vitæ principatu, ac fibrarũ denſitate, reliquis viſceribus præſtans, homini exinde animoſiſſimo, ampliſſimum cum Cerebro tributum eſt. Eius facultas duplex, βιωτικὴ καὶ θυμοειδής: illa calorem inſitum, corporis & animæ vinculum, ſpiritus vitalis generatione, & in ſingulas partes delatione tuetur: qui vt variè comparatus fuerit, propter mirabilem, quam obtinet motionis cuiuſque celeritatem, ita multifariam facultatem animoſam concitat: vnde varij hominum affectus, & mores, pro varia ipſius caloris temperie, tenuitate, & craſſitie promanant. Actiones animi, temperiem ſequuntur corporis & humorum: quorum ſplendorem & obſcuritatem ſentit anima per ſpiritus: ſiquidem humores, vapores, & ſpiritus, communi quâdam œconomia commixti, perfuſique, in omne corpus permeant: vnde humores, licet graues, ſæpe naturaliter aſcendunt. Calor inſitus primarium eſt animæ inſtrumentum, quo cunctarum partium, humorum & ſpirituum ἁρμονία perpetua fouetur: proinde huius participatione, vita: ſymmetriâ, ſanitas: ſplendore, actionum præſtantia: ametriâ, morbus: opacitate, actionum ignauia: extinctione, mors definitur.

FACVLTAS vitalis, cùm duarum extremarum vinculum quoddam ſit firmiſſimum: idcirco eâ laborante detrimentum quoque ambæ capiunt: quod in melãcholiâ planè conſpicuum: in qua caloris natiui ſplendore, & ſpirituum vitalium acie hebeſcente, hebetatur quoque ſpiritus animalis, imaginatio deprauatur, & corporis partes graciłeſcunt. Melancholia triſtis eſt & meticuloſa mentis alienatio ſine febre: timor enim, mœror & melancholia, ſibi inuicem dant operam, vt melancholia & epilepſia: verùm melancholiæ materia, magis grauat; epilepſiæ, magis prouocat: quinetiam conuſſio epileptica materiam paroxyſmi cum ſpuma excutit, conuulſio in melancholia morbo, eſt funeſta, & cum ſpuma magis. Oritur ab atro vapore vel humore, qui propter tenebroſum colorem terrores incutit, vnde melancholicis affectuum varietas, & frequentiſſima mutatio, adeóque caloris & coloris viciſſitudo emergit: prout ad odium, amorẽ, fletum, riſum, diffidentiam, moroſitatem, ἀπομονίαν, ὀξυθυμίαν, frigidi temperamenti ſobolem, magis incubuerint: tam ſæuiter hominum macerat corda redundans aut alteratus iſte humor: effectus tamen longo pòſt tempore cauſam ſequitur, quæ modò in cerebro duntaxat, modò ſimul in vniuerſo corpore, modò in ſplene, viciníſque partibus multâ congerie accumulatur. Vnde triplex melancholiæ differentia conſurgit, propriis notis, præter communes, internoſcenda.

CVM primaria cerebri labes eſt, præcurſoribus ſæpè calidis affectibus, vt cauſo, phrenitide: vel calefacientibus externis cauſis, vt aëris æſtu, mœſtitiâ, & vigiliis, in ipſomet craſſus & tenebroſus humor concretus eſt: hic aut aduſtâ bile conſtat vnde melancholia fanatica: ad quam vergit ἐρωτομανία veſani furoris melleum fel: aut aduſto ſucco melancholico, lycanthropiam Neuritis vernaculam, copioſâ phlebotomia maximè expugnabilem, & rabie perculſis, hydrophobiam, ſtupendis conuulſionibus valdè horrendam, accerſente: aut crudo craſſo & lento ſucco obſcuritatem quandam in cerebro frigidiore adepto, vnde apoplexia ſenilis citò interimens: aut denique terreſtri ſanguinis fæce, quæ vt retis mirabilis arterias vel carotidas affatim obſtruens, repentinam inuehit vaſorum ἀπόπληξιν, temulentiæ ſobolem, phlebotomiâ celeri citiùs, ſubortâ febricula ſegniùs ſanabilem: ſic vocis inſtrumenta refrigerans, ἰσχνοφωνίαν, ſuperuenientibus varicibus curabilem inducit. Ad terrenum hunc ſuccum praua rabiei (ſoli cani propriæ) ſeminaria, diu in corpore latitantia analogiã habent. Cum totius corporis vitio melancholia contrahitur, fœculenti humoris vberior copia in venis luxuriat, cum hirſuto corporis habitu, & venarum latitudine, menſtruorum & hæmorrhoidum ſuppreſſione. Cùm deniq. ater iſte ſuccus in hypochondriis prauè exardeſcit, præter πνευματισμόν, ructus, & flatus quos profert aſſiduos, tetrâ euaporatione cordis παλμούς, animi, in ipſo corde, mœrores: in cerebro, errores excitat: eiuſdẽ humoris in viſcerib. corrupti comes eſt στομακάκη, Belgis maritimis Scorbutti nomine vulgatiſſima, quæ fallaci ſua ſpecie, quâ alios morbos ẽmẽtitur, noſtri tẽporis Medicis imponit, corporis langore magis quàm manifeſta ægrotatione dignoſcẽda.

NEC ſolùm à prima temperie melancholici, qui omnium μακροβιώτατοι, ſed prærubro ac etiam flauo colore homines, facile in melancholiam incidunt: quæ vt viris quàm mulieribus frequentior, ita & curatu facilior: verùm virgines & viduas frequentiùs & periculoſiùs quàm nuptas inuadit: quinetiam ætas conſiſtens verna in primis, tum autumnalis tempeſtas, victus ratio ſordida, talis affectus commotioni ſunt accommoda: cuius μετάστασις, vel apoplexiam, vel conuulſionem, vel maniam, vel cœcitatem inferunt. Vt ſanguinis vapor cæteris ſplẽdidior, & mitior, ludicra ſomnia & deliria μετὰ γέλωτος inuehit, ſic melancholicus vt & bilioſus ſuccus in prauos vapores diſſolutus affectum μετὰ σπουδῆς inducit: qui naturæ, animi, & rationis vſum immutat. Quod ſi bilis in atram torreatur, ægri tum fanatici fiunt ac turbulenti. Summa ſymptomatum incrementa ſæpè paulò pòſt ſanitas excipit, ſic poſt ἔκστασιν ταραχώδη furor aut melancholia, vt & poſt ſurditatem febris acuta, non rarò hominem relinquit. Cùm in corruptelam opportunè non euacuata melancholia rapitur, maximè demiſſiori & imbecilliori animo præditis, vt puellis & vetulis ἐνθουσιασμόν, dæmonis balneum, profert: cuius potiſſima ſigna ſunt, reſponſiones ad recondita, & idiomatum non intellectorum varietas.

VICTVS extenuans licet chronicis affectibus ſecuriſſimus, melancholicis tamen humidus ſimul & εὔχυμος præferendus, quibus tenaciter infixis vno medicamine ſuccurrere vanum, ſed pluribus eiſdémque repetitis, fœlicior ſolutio conſequitur. Catharſis melancholiæ cuilibet maximè neceſſaria, leuior quidem initio, blandioribus melanagogis: in progreſſu verò, vehementior, ac etiam contumaci malo elleboriſmis molienda: at idiopathicæ phlebotomia plurimum noxia: vniuerſali apprimè neceſſaria, hypochondriacæ valde vtilis. Vt paulo prolixior ſomnus & vitæ hilaritas, huius humoris feritatem domant: ſic tepentis aquæ balneum eiuſdem ſiccitatem mitigat. Hæmorrhoidum vel menſtruorum excretio, grauiſſimos quoſque, nedum melancholicos, affectus ſanat, & præcauet. Melancholicum rabiei contagioſæ virus, theriaca expugnat, aquæ dulcis potus & balneum exaſperat, in mare immerſio initio tantùm iuuat, ellebori albi vſus, tranſacto principio domat, cinis denique cancrorum ſumptus penitus ſanat. Phlebotomia hìc damnoſa vel inutilis. Scorbutticum affectum phlebotomia & catharſis ſine peculiaribus remediis (ex biſtorta, cepæa, & abſynthio, deſumptis) nihil leuant: hæc verò ſine illis parum iuuant. Sed nec interim in omnibus eiuſmodi affectibus ad edomandam huius humoris κακοῤῥαφίαν, cardiacorum vſus omittendus: quæ vitæ lares caloríſque natiui focum, qualitate, & ſubſtantiâ, fouent: partim ſpirituum exolutorum reparatione, quod vinum tenue & odorum præſtat: partim eorundem illuſtratione & conſeruatione, vt margaritæ & coccum infectorium efficiunt, & omnia quæ calidum innatum augent, vel ſuauiter ſuſcitant, vt electuarium lætificans, theriaca, confectio alchermes, cæteris ad melancholiam præſtantior: quæ ſane hiſce cunctis affectibus adeò mirificum adferunt iuuamentum, vt ſine his nil quicquam θεραπείας feliciter impendatur: hæc ſiquidem cauſam omnem profligant, ſymptomata demulcent, morbum exterminant: denique priſtinæ temperiei reſtaurationem exequuntur.

Ergo Melancholiæ omni Cardiaca.

Aſſerebat Lutetiæ Gabriel Harduinus de S. Iacques Pariſinus, A. R. S. M. DC. XIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciſcus Placet.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbault.
M. Stephanus de la Font Prof. Reg.
M. Carolus Bouuart.
M. Claudius Charles Prof. Reg.
M. Ioannes Riolant Prof. Reg.
M. Nicolaus Ellain.
M. Guillelmus de Baillou.